

taneum est idem non esse commutabile. Ac primum quidem corpus sempiternum esse, nec accessionem habere, nec abscissionem, sed ab omni senectute, commutatione & vi externa accipienda liberum esse, si quis iis quæ ponuntur fidem adiungat, ex iis quæ dicta sunt, intelligere potest. Videturque & ratio ea quæ apparent, & quæ apparent perspicuæque sunt rationum comprobare: omnes enim homines notionem deorum habent, omnesque summum locum diuino cuidam numini assignant, tum Græci, tum Barbari, qui quidem deos esse putent, ut scilicet aptè immortalis attribueretur immortale. Neque enim aliter fieri potest. Ac si quod est numen diuinum, sicuti etiam est, ea etiam quæ de primo corpore modo diximus rectè dicta sunt. Quod etiã ex sensu intelligi licet, quãtum satis sit ad humanæ fidei opinionisque confirmationem. Omni enim præterito tempore, quantum ex memoria quam alij ab aliis traditam accepimus, intelligi potest, nulla aut in toto summo cælo, aut in vlla eius parte consecuta videtur mutatio. Videturque nomen ipsum à veteribus traditum successione quadam vsque ad hæc tēpora mansisse, qui eodem modo de iis sentiebant, quo etiam nos dicimus. Nō enim semel aut bis, sed sæpius sine vllō modo easdem sententias ad nos peruenire existimandum est. Itaque tanquam primum esset aliud corpus quoddam præter terram, ignem, aëra & aquam, summum locum æthera appellauerunt, à perpetuo cursu quem æterno tempore conficeret. Anaxagoras autem, cum æthera pro igne vocet, non rectè hoc verbo vsus est. Ex his etiam quæ dicta sunt perspicui potest, numerum eorum corporum quæ simplicia dicantur, maiorem esse non posse. Simplicis enim corporis simplex sit motus necesse est: hos autem solos simplices esse dicimus, conuersionem, motumque rectum: huius verò duas esse partes, vnum qui à medio, & alterum qui in medium fertur. Conuersioni autem nullum alium motum esse contrarium, ex multis intelligi potest: primum quòd lineæ rotundæ rectam potissimum contrariam dicimus. Concauitas enim & inflexio non solum inter se pugnare videntur, sed etiam cum recto, si cōiungantur, & compositionem accipiant. Ita si quis contrarius est conuersioni, is sit necesse est maxime, qui recta linea fertur. Sunt autē qui rectis lineis feruntur, propter loca inter se contrarij. Sursum enim & deorsum loci sunt & distinctio & repugnantia.

Cap. 4.